



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

In personis non esse proprietates, quibus distinguantur, & constituentur,
docuerunt Præpositius, & Gregorius. cap. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

CAPVT I.

In personis non esse proprietates, quibus distinguantur
& constituantur, docuerunt prepositus &
Gregorius.

Hæc est præcipua in tota hac quaestione diffi-
cultas, quæ Scholasticorum ingenia vsq; ad
eo torfit, ut in varias sententias eos diuiserit; quas
figillatim recensere necessarium erit. Prima igitur
opinio fuit Prepositi, quam commemorat S. Tho-
mas in 1. art. & supra q. 3. 2. art. 2. alijque Scholastici, qui
duo assererebat. Primum nullas esse in personis pro-
prietates nec absolutas, nec relatiuas; deinde nul-
lis proprietatibus constitui, aut distinguere personas
diuinas, sed distinguere se ipsis, non aliquo sui; nul-
lo vero modo constitui. Hanc opinionem secutus
est postea, & late ostendit Gregorius in 1. dist. 26. & 27.

Gregor.

Hieronymus.

quest. 1. in cuius explicationem notat, propieta-
tes bifariam capi posse, primum pro ipsismet per-
sonis; quo pacto videtur usurpasse Hieronymus
in explicatione fidei ad Damasum, ubi ait, Ita etiam
impietatem Sabellij declinantes tres personas expressas sub
proprietate distinguimus: & paulo inferius, Non enim
nomina tantummodo, sed etiam nomina proprietates,
id est, personas, vel ut Græci exprimunt, hypostases id est,
substantias consuevit; & hoc modo concessit Gre-
gorius in Deo esse proprietates, quia in Deo sunt
personæ: & personas proprietatibus distinguere,
quia se ipsis distinguuntur: sed non constitui, quia
nihil se ipso constituitur. Deinde capi potest pro-
prietates pro ratione aliqua ipsius personæ, & hoc
adhuc dupliciter, aut pro ratione aliqua incom-
plexæ significatæ, quæ sit in personis per modum
formæ ante operationem intellectus, ut dicitur
esse paternitas: & hoc pacto negat, in Deo esse
proprietates, ac proinde proprietatibus hoc mo-
do constitui, & distinguere personas. Aut sumitur
proprietates pro aliquo complexe significato, quod
nihil est ante operationem intellectus, ut quod
pater genuerit, quod filius genitus sit, & sic Gre-
gorius concedit Deo proprietates, quibus tantum
distinguantur personæ, non constituantur.

Itaque personas diuinas nullo constitui probat
Gregorius primo, quia diuina persona est omni-
nino simplex absque ulla compositione: ergo nullo
potest constitui. Nam si constitueretur aliquo, vel
illud esset ipsamet persona, vel aliquid aliud: si ef-
set ipsamet persona, non posset illo persona con-
stitui, quia nihil se ipso constituitur: si autem ef-
set aliquid aliud à persona, sequeretur personam non
fore omnino simplicem, & ab ulla compositione,
cum in ea esset aliquid, quod non esset ipsa. Secun-
do probat, quia persona non minus simplex est,
quam essentia: sed essentia, quia simplex est, nullo
alio constituitur: ergo nec persona. Tertio arguit
in illa q. vn. art. 2. post conclus. 3. ex capite Firmiter
de summa Trinit. & fide Catholica, ubi dicitur,
patrem totam suam substantiam dedisse filio, si au-
tem est aliqua proprietas in patre, quæ non est in
filio, cum illa debeat esse de substantia patris, se-
quitur patrem non totam suam substantiam de-
disse filio: sed patrem aliquam sibi retinuisse.

CAPVT II.

Refellitur opinio præcedens.

Ceteri Scholastici contra Gregorium conce-
dunt in personis esse proprietates, quibus
distinguantur & constituantur: sicut etiam conce-

ferantur notiones, ut vidimus dist. 136. sed non eo-
dem modo illas assignant ut statim referemus. Om-
nes autem Prepositi, & Gregorius opinionem con-
pugnant, inter quos Magister in 1. d. 3. affirmat, non
nullum ausum fuisse negare proprietates in per-
sonis. Canar. vero i. p. comment. præd. art. priorem per-
eem sententiæ Gregor. erroris insinuat, quod de-
serat, proprietates non esse in personis, contra illud
quod canit Ecclesia in præfatione de Trinitate, la-
essentia, unitas, in personis proprietates, &c. Adde Sophro-
nium, qui in epistola recepta & approbata in
synodo, actione II. longe à principio, identitatem
& distinctionem personarum his verbis ostendit.
Hoc quidem propriæ naturæ & identitatem illam
propter alteritatem horum trium proprietates (Patri-
scilicet, & Filij, & Spiritus sancti) propterque diffini-
tudinem proprietatem, quæ in conspectu vniuersæ
figurat personam. Vbi concedit proprietates in per-
sonis, & ipsas personas proprietatibus figurari, hoc
est, ab aliis distinguere.

Respondet tamen Gregorius sermonem Eccle-
siæ non esse secundum proprietatem, aut intelli-
gendum esse in sensu (ut aiunt) intrinsecus, ac si
dixisset, adorantur proprietates in personis, hoc
est, quæ sunt ipsæ personæ. Ceterum hæc solutio-
nem testimonio Sophronij, cuius ipse Gregorius
meminit, non posset ipse accommodare. Cum
enim dicat Sophronius, his proprietatibus per-
sonas figurari, non intrinsecus, sed transitive loqui-
tur: inepte namque diceret, personam seipsa figu-
rari. Quare, non absque temeritate nota, hi autho-
res negant proprietates, & notiones in personis,
quas tota admittit schola, non solum comple-
xificatas, sed etiam incomplexe, ut notamus
contra ipsos dist. illa 136. c. 2. id quod testimonio
citatis satis probatur. Quis enim neget hunc mo-
dum loquendi, & ut patet paternitas est pater? Nam, licet
sola ratione paternitas à patre distinguatur ap-
prehensa, ut simplex quædam forma, sicut ap-
prehendantur etiam attributa in Deo: nihilominus
absque te absque addimento dicere possumus,
paternitas est in patre. Voces enim à nobis im-
positæ rem nobis significant, prout à nobis accipi-
untur; cumque intellectus distinguat in personis
proprietates ab essentia, & in quibus apprehendat
aliquid commune tribus, & aliquid cuius pec-
liare, non concipere proprietates per modum for-
mas, quas nominibus si implicibus, & incomplexis figu-
rat. Quare non recte diceremus, personas diui-
nas se totis differre: siquidem conueniunt inter
se, & inuicem differunt: ita autem, quæ conueniunt
& differunt, ita à nobis concipiuntur, ut in ipsis
distinguiamus aliquid, quo conueniant, & aliquid
quo differunt. Tertio sicut dicitur deitas esse in
tribus personis significata ut forma, cum non dic-
tur paternitas in patre, & quævis alia proprietas
in sua esse personæ diuinitatem autem esse intra-
bus, sepius dicit Sophronius in ea epistola.

Quod vero ad posteriorem partem spectat, quæ
dicit prædicta opinio, personas diuinas nullo alio
constitui, ea placet Canar. 3. parte comment. art. 4. de
de constitutione ex natura rei intelligatur: prout
enim personas diuinas re ipsa non constitui, sed
solum per intellectum, sicut species genere, &c. &
ferentia constare dicitur, & ipsis constitui. Quæ
sententiam trahiderunt S. Thomas in 1. d. 26. q. 2. art. 1. &
Caiet. in hunc art. 2. circa solut. primi, & Ferrar. 4. contra
gent. ca. 26. §. 4. ad identitatem, inhiq; summopere
probat.